



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

P. Ignatio Præp. Gen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

suauissimi, quos Deus tot, ac tantis virtutibus
ornauit. Et quoniam confido fore, ut vobis
haud paulo iucundius fruar in æterna vita,
pluribus in præsentia vobiscum agere super-
sedeo. VI. Idus Maias. M. D. XLVI. Ex
Amboino.

P. Ignatio Loiola Præ. Gener. Romam.

Epist. IV.

Gratia & caritas Christi D. N. &c.

DEVS mihi conscius est, quantopere in
hac quoque vita te videre expetam,
Pater carissime, ut tecum multis de rebus
communicem, quæ tuam opem, ac remediū
desiderant: Nulla enim locorum spatia ob-
stant obedientiæ. Video in his locis è Socie-
tate esse permultos: rursusq; nos animorum
nostrorum medico multum egere video. Per
ego te IESVM Dominū oro, & obtestor, Pa-
ter optime, ut his quoque filiis tuis, qui in
India versamur, prospicias: virumque mit-
tas aliquem virtute ac sanctitate præstātem,
cuius vigor & alacritas torporem excitet
meum. Magna me spes tenet, quoniam diui-
nitas animorum nostrorum affectiones tu-
te perspicis, abs te operam datum iri dili-
genter ut omnium nostrum iam lan-
guescens virtus ad perfectio-
nis studiū vehemen-
tius incitetur.

Humilitas.

Nihil

Nihil magis hæc terra ab Societate nostra, quam concionatores desiderat. In his, quos huc magister Simon submisit, nemo est (quod sciam) concinator. Lusitani autem Indiam incolentes pro suo egregio erga nos studio, ac beneuolentia idoneos nostræ Societatis, concionatores exoptat mirum in modum. Proinde te per DEVM eiusque cultum obtestor, ut tam pij, iustique illorum postulati memor, aliquot huc mittas Patres ad id munus appositos, qui rectum errantibus salutis iter ostendant. Quos præterea è Societate missurus es, ut Euangelij causa Ethnicorum vicos peragrent, hos tam spectata probitate oportet esse, ut tuto & comitati ire possint & soli, quocumque eos Christiana res vocet, velut in Molucum, in Sinas, in Iaponiam. Vel ex Sinarum, & Iaponiæ, earumque gentium descriptione, quam his inclusam literis ad te mitto, facile intelliges, cuiusmodi tandem ipsa res exoptat viros.


Pontificias Indulgentias, priuilegiumque aræ maximæ nostri collegij, item potestatem sacerdotibus, ut remotos populos Chrismate inungant pro Episcopo, de quibus ad te superioribus annis scripsi; incredibiliter expectamus. De Quadragesima vsus me docuit, nihil admodum necesse esse quicquam immutari. Nam Lusitani adeo locis disiuncti sunt in India, ut si commodum spectes publicum

nulla immutatione opus sit. Neque enim hyems eodem tempore per omnes Lusitanorum ciuitates, atq; oppida vagatur. Quare habita cōmunis boni ratione, fatius duco, nihil decerni super ea re noui, etsi video non deesse, qui contra sentiant.

Nondum plane constitui vtrum ego ipse cum vno, aut altero è Societate Iaponiã post sesquiãnum petã, an eò duos è Societate premittam. Nam certũ est mihi, aut ire, aut alios mittere. Atque vt nunc est, inclinatur animus in consilium eundi. DEVM oro, vt quod magis ei cordi est, id liquido præscribat mihi. E tribus fociis, qui Molucum petierunt, visum est vnum eligere, qui præesset cæteris. Itaque Ioannem Beiram delegi, cui reliqui obtemperarēt non secus, ac tibi. Id illis pergratum accidit. Idem in Promontorio Comorino, cæterisque locis, vbi plures è Societate versantur, instituere cogito. Tu velim tua tuique studiosorum deprecatione nobis in hac barbarie versantibus cœlestem implores opem. Quod vt facias impensius, DEVM immortalem oro, tibi vt ostendat diuinitus, quantum ego tuæ vel opis, vel operæ indigeam. XIII. Kalendas Febr.

Anni à Christo nato. M. D.

XLVIII. Cocini.



M. Simonè